

que , & M. Agrippam , qui Augusti Imperio summam rerum gescit , Arpinates fuisse . Vespasianum etiam , ejusque filios , Titum , & Domitianum , Imperatores , quis nesciat fuisse Reatinos ? Et tamen Reatem inter Præfecturas adnumeratam vidimus . Quis ergo sciolus homo dicat , Brutii , qui ex Præfecturis non fuerunt , militiæ honorem fuisse prohibitum , qui interdictus sane non fuit hominibus pluribus , qui Præfecturarum urbium incclæ dicebantur ?

§. XII.

*Post Hannibal's defectionem Viri Brutii
in Romana Republica militiæ,
& magistratus , laude
decori .*

Alterum est , quod videamus , Brutios scilicet Viros , post discessum Hannibal's ab Italia , militiæ , & magistratus , honores obtinuisse , non semel quidem , ac iterum ; ut vere conspiciatur , tantum abfuisse , quod Brutii poenam a Romanis receperint , ob defectionem ad Hannibalem , ut potius præmia , ob fidei constantiam erga Rempublicam , obtinuerint . Quod si hoc nobis contigerit ostendere , quis erit sanæ mentis homo , qui amplius contendet , commentum fuisse illud A. Gellii , absque examine a posterioribus scribentibus exscriptum , quo Brutii per vulgarium hominum ora traducuntur ? Non enim stare unquam poterit , ut uno eodenque tempore Brutii , tanquam infideles a Romanis puniantur , ut Lictorum , Tortorumque , officium obeant , & veluti Romanæ Reipu-